

P I S A

1 6 0 8



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Hd. 11.

DISPUTATIO I.
EXERCITATIONVM ETHICARVM
DE
NATVRA ET PRÆ-
COGNITIS ETHICES,

Quam
DEO DVCENTE ET DOCENTE.

In illustri Academia Witebergensi

Præsides

M. HENRICO VELSTENIO PHILO-
sophiæ Moralis Professore publico,

Defendendam suscipies

DANIEL ZANGERVS WITEBER-
gensis.

Ad diem 7. Martij horis locq; consuetis.

Cic. 1. Off.

Nulla vitæ pars neq; publicis, neq; privatis, neq;
domesticis in rebus, neq; si tecum agas aliquid,
neq; si cum altero contrahas, vacare officio po-
test: in eoq; excolendo sita est vitæ honestas
omnis, & in negligendo turpitude.

VVITEBERGÆ

Typis Mullerianis Anno 1607.

Viris

Magnifico, Reverendissimis, excellentissimisq̄
DN. WOLFGANGO FRAN-
ZIO S.S. THEOLOGIÆ DOCTORI,
Professori Publico, ac pro tempore
Rectori :

Nec non

DN. D. POLYCARPO LYSE-
RO SERENISSIMO SAXONIÆ ELECTORI
à concionibus sacris.

Dominis mecenatibus, & promotoribus suis submissè colendis.

ET

Consultissimo, & clarissimo viro

DN. IOHANNI ZANGERO ICTO,
Decretalium Professore Publico, facultatis juridicæ
Seniori, Ecclesiastici Consistorij Assessori,
parenti suo charissimo.

Hanc *субMITTED* à *DIRIG*, debitæ observantiæ, & gra-
titudinis ergo.

Nuncupat

Dicat

Dedicat

Daniel Zangerus Respondens.

THESIS I.



Vm Philosophia sit animi nostri medi-

*cina, & perfectio. Cic. l. 3. Tusc. quasi anima verò mor-
bi sint duplices: Intellectus videlicet, & appetitus: Idcir-
cò duplex à Deo immortalì nobis divinitus concessa est Phi-
losofia, quæ hisce utriusq; morbis perfacile medebitur.*

II. Contra illos enim morbos, qui τὸ πῶς ἴδεν, id est intellectum affi-
ciunt, comparata est speculativa Philosophia, quæ menti aciem ab igno-
rationis caligine purgat: sed morbus τὸ ὅπως ἔλκεσ practicalis Philosophia
depellit, quæ voluntati contra licentiam alexipharmaca propinat longè
presentissima. Piccolomineus in introductione c. 1. p. 3. Casus in
speculo in præfatione.

III. Non enim Philosophia in hoc adhibetur, ut aliquà oblectatione con-
sumatur dies, aut dematur ocio nausea. Animum format, & fabricat,
vitam disponit, actiones regit, agenda, & omittenda demonstrat, sed &
ad gubernaculum, & per incipitia fluctuantium dirigit cursum sine hac
nemo securus est. Innumera accidunt singulis hominibus quæ consilium exi-
gunt, quod ab hac petendum est. Seneca Epist. 16.

IV. Neque aliud est homo absque Philosophia, quam perpetui tumultus
prostitulum: nihil aliud Philosophiâ correctus, quàm perpetuæ tran-
quillitatis palatium. Ex præced.

V. Ceterum Philosophiam speculativam nos hac vice missam facien-
tes: In practica Philosophiæ penetralia subintrabimus, inde oppido cogni-
turi, quæ hominem beatum quadantenus, quæq; miserum faciant: id quod
precipuum munus est Philosophi. Plato in Theæteto.

VI. Dicitur verò ἀρετὴ ἡ ἀπὸ τῆς ἀρετῆς, quod non solum contem-
pletur virtutum officia: sed etiam factis exprimat: nec tam scholæ, quàm
vitæ doceatur, & discatur: Non enim, ut sciamus quid sit virtus, sed ut
boni efficiamur, considerationem de virtute suscipimus. Aristoteles 2.
Eth. 2. & 10. Eth. 9. Lactantius l. 6. 5. Cic. 1. off.

VII. Qui enim tantum de virtutibus disputant, earumq; cognitionem
expetunt, neq; tamen secundum earum præcepta agunt, similes sunt æ-
grotis, qui quidem medicos diligenter, & studiosè audiunt, sed nihil a-
gunt eorum, quæ præscripta sunt. Veruntamen ut hi ipsi sanitatem cor-
poris

potū non recuperant : ita nec isti anime sanitatem dum ita philosophantur. Aristoteles 2. Eth. 3. Confer Zab. l. 1. de N. L. c. 15.

VIII. Quocirca enitendum non grandia de virtute sonare : sed facere : non accuratè virtutum proprietates, officiorumq; differentiam discutere sed ea exequi & exercere. Opera enim sine verbis laudi dantur, & sunt ad permovendos aliorum animos efficacia ; Verba autem sine operibus non modo non profunt, sed & vehementer efficiunt, vitamq; reddunt detestabilem. Iohannes Chlicht.

Ille enim juxta Nazianzenum vir bonus dicendus est, qui pauca quidem verba de virtute : multa verò exempla justorum, & honestorum factorum ex sese profert : ut rectè dictum sit à Mantuano.

De virtute loqui minimum, virtutibus uti
Hoc Samsonis opus.

IX. Est verò practica Philosophiæ pars duplex : una communis, altera propria. Est enim doctrina hæc tum communè omnium, tum propria singulorum vitæ generum, ac graduum.

X. Pars communis est illa, quæ tradit principia, fundamenta, & semina universæ Philosophiæ civilis, & in genere monstrat quodnam officium sit viri boni, cujusque tandem ordinis & status is fuerit. Zvingerus in præfatione.

XI. Econtra pars propria illa est, quæ ad singularia descendit, & præcepta communia societatibus accommodat, diciturq; politica, & Oeconomica.

XII. Quemadmodum enim libri isti octo Physicorum continent totius Philosophiæ naturalis principia, videlicet materiam primam, privationem atque formam cum accidentibus, motu vacuo, infinito, loco ; tempore : deinde nec tã meoq; corpora naturalia in eis pertractantur : Sic etiam libri Ethicorum Nicomachi principia Philosophiæ practica continent, videlicet beatitudinem, actiones, & virtutum omne genus, ut non immeritò hi libri Elementa civilis facultatis inscribi possint. Confer. Zvingerum lib. d.

XIII. De hac ergò parte communi, sive Ethicâ specialiter ita dicere a primo desicimus, ut sic communibus præcognitis, cetera facilius discerneret.

gnoscere valeamus, Aristoteles passim, Et tantum de practica Philosophia in genere.

DE ETHICA ABSOLVTA, SI ve specialiter ita dicta.

I. Hanc ergo definimus prudentiam, qua per virtutes informat appetitum hominis, ut recte rationi pareat, ad consequendam felicitatem, que homini hac in vita contingere potest. Alij brevius definiunt artem bene informandi mores, ut recte rationi consentiant.

II. Nomen Ethices derivat Philosophus 2. Eth. 1. & πρὸ τῆς ἔθης ἀπὸ τῆς ἐθῆς ἀ συνήθειαν, & assuetudine, & assuetudine, mutata, vocali brevi & in u vocalem longam: aut & πρὸ τῶν ἠθῶν ἀ moribus. Cujus quidem appellationis usus duplex est, generalis, & specialis. Generalis, ut cum totam Philosophiam moralem denotat: specialis, ut cum primam ejus partem, Latini moralem appellant, vel de moribus, vel ad mores pertinentem; a materia quam tractat, & in quo occupatur. Cic. l. 1, de Fato, Et 1. acad. questionum.

III. Generis loco in definitione Prudentiam, ponimus. I. Quia enim Ethica est disciplina operatrix: Ergo erit vel ποιητικὴ, vel ἡγεμονικὴ, cum plures ejus generis habitus non dentur. Aristoteles 6. Eth. c. 3. ποιητικὴν vero disciplinam Aristoteles artem vocat 6. Eth. c. 4. ἡγεμονικὴν autem prudentiam appellat eodem loco. Itaque erit Ethica aut ARS, aut PRUDENTIA. Sed Ars non, Quia nulla ars pertinet ad actiones virtutum, sive ad affectus per virtutem componendos, atq; adeo ad ἡγεμονισμὸν, atq; voluntatem, ut Aristoteles manifeste docet 2. Eth. c. 4. & 6. Eth. c. 4. Est enim Ars ἐκ τῶν ποικίλων, id est carum rerum; que corporis, & imprimi manuum adminiculo tractari solent. 6. Eth. c. 3. Atqui Ethica circa virtutes, atq; adeo circa affectus virtute imbuendos tota est occupata, ut apparet ex definitione prudentia C. 4. 5. & sequentibus 6. Eth. Ergo.

2. Ethica neq; mens est, neq; sapientia, neq; scientia, neq; ars; ut patet ex definitionibus singulorum istorum habituum, que videri possunt. 6. Eth. c. 3. 4. 6. & 7. Ergo necessario est prudentia, cum praeter hos quinque habitus rationalium nullus alius detur. Vti docet Aristoteles 6. Eth. c. 3.

A 3

3. Ethica

3. Ethica convenit definitio prudentiæ, que habetur 6. Eth. 6. 5. & prudentia vis per totam Ethicam sic longè latequè diffusa est, & nulla virtus constare, aut nomen suum minusq; tueri sine ejus moderatio-
ne possit. Qua de causa Plato eandem scilicet prudentiam $\kappa\alpha\tau\alpha\lambda\omicron\upsilon\alpha$ τῆς
ὀρθῶς πρᾶξις τῶν δὲ τῶν ἀρετῶν ἀρχιτεκτονικὴν omnium vir-
tutum appellat. At cui definitio competit, eidem & definitum.

4. Prudentia immediatè in quæstione quid est prædicatur
de Ethica omnibusquè individuis sub ea contentis. Quodcumq;
autem immediatè in quæstione Quid est, prædicatur de specie, omni-
busq; ejus individuis sub eo contentis: illud est ejus speciei genus pro-
ximum.

IV. Finem Ethices quod attinet, quia ethica est è disciplinæ opera-
trix, quæ plerunquè duplicem sortiuntur finem, idcirco & ejus du-
plex erit finis: Internus, & externus.

1. Internus est hominem boni moribus seu virtutibus informare,
siquidem Ethica nos $\sigma\tau\epsilon\lambda\lambda\alpha\iota\sigma\tau\epsilon$, & honestos efficit, atq; secundum virtu-
tem agere docet.

2. Externus est $\hbar\epsilon\upsilon\delta\alpha\iota\mu\omicron\nu\iota\alpha$ felicitas, quatenus nimirum ad ho-
minem per se consideratum restringitur.

3. Probat. 1. à definitione finis, qui in disciplinæ operatricibus est
forma accidentaria, ab eo qui operatur in materiam introducendus. At-
qui talis est felicitas. 2. A natura & constitutione Ethices: A quo pen-
det natura, & constitutio Ethices: illud est finis illius. Sed à felicitate præ-
ethicâ pendet natura, & constitutio Ethices: siquidem in definitione Ethices
differentia sumitur à felicitate, absq; quâ, nunquam fuisset inventa.

3. A proprietatibus finis disciplinis operatricibus propofi-
ti, quarum, 1. est, ut notus supponatur, si non ratione τῆς τῆς ἐστίν, saltem
ratione τῆς οὐκ ἐστίν. 2. est, ut non consideretur ut existens, sed potius ut non
existens, & à nobis producendus, 3. ut ejus producendæ mediâ, seu prin-
cipia inquirantur. Tam verò felicitas practica, 1. semper ratione
τῆς οὐκ ἐστίν supponitur. 2. Consideratur, ut ab Ethico est producenda. 3. Ejus
mediâ inquiruntur. Ergo. 4. Hocce duos fines haut obscure indicat
Piccolomineus in introduct. Philosophiæ moralis cap. 6. ubi Ethicam
sic definit: Est Philosophia humanas actiones componens ex naturâ internâ

commotione, sapientiaq; animi sacunditate orta, ut in omni vita gradu honestum attingamus summoque civili bono pro facultate fruamur.

V. *SVBIECTVM* Ethices alij aliud statuunt.

1. Piccolomineus in introduct. c. 2. 3. 4. statuit, subiectum civilis scientia esse humanam actionem ex hominis libertate proficiscentem, ut in ea honestum & quod decet, resulgeat: Quae quidem sententia licet simpliciter rejicienda non sit, videtur tamen nonnullis laborare difficultatibus. 1. Quia actio non consideratur, ut nuda actio, sed ratione ejus, cujus est actio. Propter quod verò unum quodq; tale est: illud magis tale 1. Post: 2. 2. Beatitudo non est propter actionem sed propter hominem & ad ejus naturam accommodatur. 1. Eth. 6. 5. Eth. 6. Ad subiectum autem Propriè finis pertinet. 3. Illud, quod sit secundario, reddendum est ad id, quod sit primario. At qui in Ethicis inquiruntur principia actionum humanarum, videlicet ἠρεσκοντες, ἐκδύοιεν &c. secundario, quatenus scilicet inde probè actiones conformantur: primario verò propter hominem beandum. Ergo.

2. SCHVLTETVS statuit summum bonum 1. Eth. c. 1. pag. 1. sed hæc opinio non distinguit inter subiectum, & finem, ad quem magis, quam ad subiectum quadrat. Confer Zab. lib. 1. de naturâ Log. cap. 18.

3. Alij hominem statuunt; sed quâ beabilis est, seu quatenus beari potest. Zab. lib. 1. de natura Log. c. 15. 1. Quia ad hominem omnia, quæ in Ethicis, spectant ac referuntur Piccolomineus in introduct. civilis Philosophiæ c. 1. Illud autem rectè subiectum statuitur, ad quod omnia, quæ in disciplina traduntur, spectant, & referuntur. 2. Sicut eger Medico pro subiecto est: sic homo beabilis Ethico. Subiecta autem & disciplinarum non quoad materiam, sed quoad modum considerandi & finem distinguuntur Zab. 1. 2. de natura Log. c. 11. 3. Probatum hæc sententia autoribus 1. Zabarellæ 1. 1. de naturâ Log. cap. 15. Philosophia moralis subiectum habet hominem animale. Vt enim corporis ars medica: ita hæc animi sanatrix est. 2. Colleg. Conim. in proëm. In Eth. Arist. Subiectum totius moralis scientiæ est homo, ut liberè agit, & ut potest bonis moribus excoli, humanamque felicitatem obtinere. Subscribit etiam huic sententiæ Riccob. in præfat. Pag. 24. Atque hæc non sententia facile admitti posse videtur, præsertim, si consideretur, cui res ordinata, & tota civilis Philosophia sit accommodata.

Fontes

VI. Fontes Doctrinae Ethicae sunt, qui & reliquarum disciplinarum, scilicet, principia nobiscum nata, Experientia, & ratiocinatio.

1. Principia nobiscum nata generalia de virtutum officijs præcepta præscribunt, & earum quasi prima fundamenta ponunt. Talia sunt: Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris: Honestum agendum: Turpe fugiendum. Suum cuiq; tribuendum: Parentes honorandi: Vim vi repellere licet: benemeritis gratia referenda: nemo ladendus &c.

2. Experientia virtutum & vitiorum, & eventuum, qui exinde sequuntur, exempla colligit. 3. Ratiocinatio ex ijs quæ naturâ nota, & sensu cognita, partim per demonstrationes, partim rationes Philosophicas ea colligit, & concludit, quæ præcepta morum sunt, & virtutum regula. Verbi gratia: Aequalitas est servanda. Atqui si poena respondeat delicto, servatur aequalitas. Ergo.

Iusta malis hæc admissio pro crimine poena est.
Ut quæ fecerunt, eadem patiantur & ipsi.

Aristoteles s. Eth. c. 5. Item: Vim vi repellere licet. At si quis seipsum contra latrones & sicarios defendit; vim vi repellit. Ergo si viua nostrâ in aliquas insidias, si in vim, si in tela latronum, aut inimicorum incidat, omnis honesta ratio est expedienda salutis. Cic. pro Milone. Confer Philosophiam pacificam Mauritanam statim in Principio.

VII. Auctores doctrina Ethica habet.

1. Deum ipsum. 1. qui homini ad imaginem suam condito honestorum, & turpium discrimen insidit. 2. legem moralem voce suâ ipse promulgavit, & præterea omnibus retrò seculis justos præmiis donavit; sed poenas irrogavit sceleratis, & dolores conscientie exquisitissimas scelerum pedissequas esse voluit. 4. per magnos viros peculiari excitavit afflatu, qui pulcherrimas, atq; utilissimas ad bene vivendum sententias tradiderunt, & pulcherrima virtutum exempla in illustri loco sita, post se reliquerunt.

2. Viros sapientissimos, atque optimos: qui securi præceptorum majorum, & criterijs, quæ diximus, obsecuti, leges honestissimas condiderunt, & utilissima de regendis moribus præcepta descripserunt: Horum principes fuerunt: Socrates, Plato, Aristoteles &c.

Modus

VIII. Modus docendi Doctrinam Ethicam triplex est.

1. γυμναστικὸς, quo continentur breves, & arguta sententia ad recte instituendam vitam, moresq; informantos accommodatae: quarum quidem facilis intelligentia, diuturna memoria, utilitas maxima. Tales sententiae sunt: Nofce reipsum: Nequid nimis: Sponde, praesto est noxa &c.

2. παραδειγματικὸς: qui virtutum, ac vitiorum exempla & ad imitandum simul ac fugiendum ob oculos nobis ponit. Cujus loci sunt historia, apologi, Comediae, Tragediae.

3. ἀποδεικτικὸς: qui virtutum & honestarum actionum causas, effecta, definitiones, divisiones, & affectiones persequitur & nihil eorum omnino praeterit, quae ad rei expositionem facere videntur. Hujus loci sunt aliquot Dialogi Platonis, & libri Aristotelis. Atqui hic modus est absolutus, atq; perfectus, cum argumenta non tantum adhibeat Logica, quibus praecipua demonstrantur, sed insuper, etiam ἱστορικὰ & παραδειγματικὰ quibus auditorum animi conciliantur, & ad Ethices studium & virtutum actiones instaurantur.

IX. Tandem Idoneum Ethices auditorem quod concernit, cum tria sint hominum genera: Hesiodus l. 1. ἄπειρον: Livius deca. 3. l. 2. Cic. l. 3. de orat: item pro Cluentio. 1. quibus ipsis, quod opus est, in mentem venit. 2. Qui alterius bene inventis obtemperant. 3. Qui nec consulere, nec obtemperare sciunt: jam sanè mediis maxime Philosophia moralis est inculcanda; quamvis interdum apud ultimos, & primos, quandoq; non sit instructiosa, è quibus hos confirmat: illos emendat. Aristoteles. 1. Eth. Nicomach. cap. 3. & 4.

X. Officium auditoris Ethici est.

1. Non exactas hic exigere demonstrationes, quales quidem dantur in scientiis mathematicis.

2. Rectè & dextrè de præceptis doctrinae moralium judicare.

3. Præcepta hac ad usum transferre. Omnis enim laus virtutis in actione consistit, ut supra ostensum. Arist. 1. Nicom. c. 3.

Et tantum de definitione Ethices, & his, quae generaliter ad Ethicam spectare visa fuerunt: sequitur jam distributio.

XI. Ethicæ ergo partes duæ sunt.

1. εὐδαιμονολογία, 2. ἀρετολογία. De quibus singulis suo loco.

B

Quaest.

Questio I.

An doctrina Ethica ut ex scriptis Philosophorum
traditur sit homini Christiano ne-
cessaria ?

Pro negativa videntur militare hæ rationes. 1. Quia solus Decalogus continet absolutam bene vivendi doctrinam: imò hic omnem celestem regulam canonemq; complectitur: quo beat a vita dirigitur, contrarij q; errores refelluntur. 2. Quicquid sit sine fide, peccatum est. Rom. 14. At talia sunt Ethnicorum scripta. 3. Quia Paulus Col. 2. simpliciter Philosophiam rejicit quâdo inquit: videte ne quis vos deprædetur per philosophiam. In affirmantem sententiam hæ rationes adduci possunt. 1. Quia Philosophia est Dei donum, etiam in ethnicos Philosophos liberaliter a Deo collatum. Neq; enim isti Philosophi ex se ista scripta depromserunt, ut ethnici, sed ut homines a Deo per generationem naturalem facti & à liberali disciplina instructi. Sed Deus naturalia non tollit, neq; iisdem contrariatur. Scal. exerc. 278. Præterea Deus est, qui gratam de se samam in artibus sparsit, à quo omnis doctrina, & omne lumen ortum est & qui prima isthæc principia hominum animis impressit, ex quibus postmodum artes sunt instructæ. At nihil est causa sui contrarij. Scal. exer. II. sect. 1. 2. Sæpè contingit, ut eadem res in Ethicis laudetur & in Theologia præcipiatur: quanquam tunc res illa ut materiâ generali est eadem; sic differt formâ, proprietatibus, & principiis, siquidem diversa in illis ratio, diverse proprietates, nec eadem principia, Martyr. Eth. Arist. pag. 7. 3. Hæc doctrina plurimum inservit ipsi Theologo; si nempe bono cum judicio adhibeatur, maxime in secundæ tabule explicatione, & in multis aliis questionibus: ita tamen ut non regina, sed pedissequa sit Theologiæ. I. Theologi hinc mutuuntur, virtutum definitiones & divisiones. II. Ostendunt consensum legû divinæ cum natura. III. Convincunt pontificios & hereticos in spiritualibus. IV. Evertunt necessitatem stoicam, & multa alia inde mutuuntur Spolia. V. Sæpius theologi graviores proponuntur questiones de actionibus, de quibus disputatur, licitane sint: an verò illicitæ: jubentur etiam explicare, quæ factio graviora sunt, quæ leviora. VI. Inde intelligit Theologus intra quos fines lumen nature se continere debeat; ac quousq; suo jure se proferre queat: imò hinc videt, quàm longè præstent hisce philosophicis ea, quæ in sacris literis continentur. VII. Turca vel aliûs quispiam, qui scripturam non agnoscit, non audiet Theologum ob vitæ turpitudinem se arguentem, nisi Theolo-

gus

guis ejusmodi assumat principia, qua & ipse admittat, nempe ipsam legem naturae, quam doctrina ethica interpretatur, ut nempe hac ratione reddatur & ὡς ποδολογικῶς. Sicut alias disciplinas liberales ex Philosophis etiam Ethnici haurimus: ita ex iisdem moralem Philosophiam addiscere licebit. Complura alia hic praeterimus, quae quidem hanc in sententiam commode afferri possent.

Pro decisione notandum: plura requiri ad rei alicujus existentiam, quam essentiam, sicq; disciplinam Ethicam gentilium Philosophorum. 1. non esse necessariam homini Christiano quoad essentiam; hoc est, ut per eam fiat Christianus: 1. Quia hic omnium gentilium Philosophorum scripta nihil quicquam possunt. 2. Quia solum Evangelium est potentia Dei ad salutem Rom. 1. 11. Quoad existentiam vero non tantum homini Christiano sed in universum omni homini docto secundum quid, & à posteriori esse necessariam, vel quo ad perfectionem externa disciplina: vel quo ad discrimen statuendum cum verbo patet factum. Vide supra. Quod ergo argumenta in negativam sententiam adducta concernit, respondemus. 1. Licet ea, quae ad morum directionem faciunt sufficienter ex Decalogo hauriri possint: nullum tamen inde est consequens, propterea haec Philosophorum de re in hac parte esse seponenda. 2. Distinguendum inter opera Ethnicorum, quae simpliciter peccata sunt, ut adulterium, perjurium, caedes &c. & illa quae tantum ex accidente Deo fuerunt improbata. Ita quae Ethnici de virtutibus praeceperunt secundum legem naturae, ea Paulo teste, legi divinae fuerunt consentanea, & eo sane respectu merito commendantur, & à vitio discernuntur; quemadmodum Deus ipse ea praemio ornavit. Sunt autem Deinde respectus alij, quorum consideratione haec à Deo minime omnium possunt probari. 3. D. Paulus non notat Philosophiam per se, sed abusum perstringit: Unde per ἐπιτήδεωσιν addit & κενὸς ἐπιτήδεωσιν & inane conceptionem.

Quaestio II.

An qui ad juris prudentiam animum applicare cogitat, necessario prius hanc disciplina sit informandus?

In partem affirmantem concedimus, hisce adducti fundamentis.

1. Quia qui principia ignorat, nec principia ille tenebit. Sunt n. principia tanquam semina facultate & virtute universum opus in-

eludentia, & longè majora sunt virtute, quàm mole. Aristotel. 1. de
cælo contex. 33. adeò ut non immeritò videatur principium plus esse,
quàm dimidium totius. Aristot. 1. Eth. Nic. c. 7. Atqui Ethica doctrina
continet principia totius rei, & omnium legum, quæ tanquam rivali ex
fonte Ethico profluxerunt, ita ut omnium earum certitudo & veritas ad hæc
doctrinam referenda sit, indeq; petenda.

II. Singularia extra universalia seu absq; universalibus non
debent doceri, neq; etiam distinctè cognosci possunt. Atqui in
doctrina Ethica agitur de virtutibus tam in genere quàm in specie: a-
gitur de iustitia, de jure naturæ, de causis actionum humanarum & de
ferendis legibus universalia præcepta traduntur, ex quibus postmodum
legumlatores de omnibus ac singularibus leges condunt, per quas in civi-
um animis virtutum habitus gignuntur & vitia repurgantur.

III. Vbi desinit Ethicus, ibi incipit ICTVS: unde Zab. 1.1. de consti-
tutione naturalis c. 33. Sicut bonus medicus esse non potest, qui non
sit philosophus naturalis: ita nec bonus legislator, qui non calleat mora-
lem Philosophiam. Ergò sicut medici est physica cognoscere: ita ICTI
est Ethica. Quòd enim valet in uno parium, valet etiam in altero.

IV. Posset hoc ipsum gravissimorum virorum autoritate & judi-
cio confirmari: sed sit nobis Cicero instar multorum, qui ita l. 1. de
legib: Iurisprudencia non est è pratoris edicto, neq; è duodecim tabulis: sed
penitus ex ipsa Philosophia haurienda est; eaq; ex ipsa hominis natura re-
petenda est, & qui aliter jus civile tradunt, ij non tam iustitiæ quàm li-
rigandi tradunt vias, quoniam lex est summa ratio insita in natura,
quæ jubet ea, quæ faciendæ sunt & prohibet contraria. Videantur o-
prima apud Piccol. grad. 1. Philisophiæ moralis c. 10. Dissen-
tit à nobis Iohannes Althufius, cujus tamen argumenta in ipso
conflictu haud difficiliter profligabimus.

Quæstio III.

Quis sit primus author Ethicæ?

Socrates quidem primus Philosophiæ moralis author fuisse à ple-
riusq; traditur. Cic. 1. Acad. quæst. Item in præm. quintæ Tusculanæ.
Polyd. Virg. l. 1. de inventione rerum c. 16. Sed tamen hoc non ita
est intelligendum, quasi ante Socratem nemo bonè iusteq; vivendi præ-
cepta tradiderit. Quia etiam antè illam plurimi sapientes viri fuerunt;

quæ

qui pulcherrimas atq; utilissimas ad honestè vivendi sententias reliquerunt. 2. Tales apud Perfas erant Magi apud Indos Gymnosophista, apud Assyrios Chaldaei, apud Gallos Dryide, 3. Ab initio generis humani leges, & jura tam divina quàm humana vigerunt. Pro decisione ergò notandum, Socratem dici primum Ethices auctorem, quia primus fuit ex eorum numero, qui Philosophi nominati fuerunt, quorum princeps & autor nominis Pythagoras extitit, qui relictis rebus, ab ipsa natura involutis, quas supra cognitionem humanam esse censebat, tantum ea tractare cepit, quæ ad vitam & mores honestè instituendos attinerent. Illud enim frequenter in ore habebat. ἡ ἀρετὴ ἡμῶν, οὐδὲν ἄλλο ἐστὶν ἢ ἡ ἀρετὴ τῶν θεῶν. Vide Majoragium in orat. 16.

Quæstio IV.

An dentur notitiæ ingeneratæ?

Partium quidem hic est magna decertatio, Sed nos pro parte affirmativa hæc colligimus cohortes.

I. Non negandum, quod universalis experientia fecit testatum. At qui omnes ingentia vi natura intelligimus. Effectum non esse sine aliqua causa: totum esse majus sua parte: de quolibet veram esse affirmationem aut negationem. Imo omnes sola ratione dictante agnoscimus, esse DEVM, & tenemus discrimen honestorum & turpium, virtutis & vitij.

II. Evincit autoritas sacrarum literarum & doctrina Ecclesiæ superesse in mentibus humanis aliquas notitias ex ipsa imagine Dei deperdita adhuc residuas. Hoc docet Paulus Rom. 1. v. 19. Gentes habent opus legum scriptum in cordibus. Mansit enim, ut inquit, Hunius in c. 1. loh. p. 51. lux quaedam rationis in externis, quamvis illa perexigua, ut videat discrimen honestorum & turpium: supersunt adhuc aliquæ notitiæ, quarum beneficio mens assurgit & progreditur ad præcepta moralia & leges civiles extruendas, quibus humana vita regitur. Et Rungius in disp. in Ep. ad Rom. c. 1. inquit: Notitia juris naturæ ex duplici ortu est principio: partim enim naturam mentibus hominum indita, est ut notitia virtutis: partim rationis usu ex rerum creaturarum contemplatione acquisita est, &c.

III. Anima est natura intelligens & in corpore interdum nihil utitur organis corporis, sed habet separatas quasdam in organis actiones. Ergo omnino quaedam menti insunt notitiæ, adeo ut statu-

vere mentem non esse præditam lumine noriciarum nihil aliud sit, quam
sculperè animam intelligentem sine intelligentia.

IV. In omnibus etiam non institutis de Deo naturaliter inest
stimulus conscientiæ, in tetrifacitoribus testificans esse Deum vindic-
cem quendam scelerum, etiamsi furor hominum hoc iudicium excutere co-
netur: & pueri paululû commones facti de Deo, reverentur & timent Deum.

V. Neq; unquam hoc oppugnatum ivit Aristoteles, nec con-
trarium colligi potest ex loco isto, qui extat l. 3. de hist. anim. cap. 4.
intellectum esse similem rasæ tabula, in qua acta nihil scriptum sit, scribi
tamen omnia possint, 1. Quia hic Themistius pro præceptore Aristotele re-
sponder, nunquam tam inconsideratum eum fuisse, ut negarit, quædam
principia humane menti esse insita. Nisi enim inquit, in anima essent ejus-
modi communes notiones, non possemus nos mutuo intelligere, & nunquam
discipulus aliquid disceret à præceptore. 2. Philos. ipse 1. post. c. 7. Scipsum
sufficenter explicat, & hanc opinionem longissimè à se amolitur. Isti loci
enim cum docuisset duo contraria simul vera esse non posse, mox hæc verba
omni observatione dignissima subiugit: adversus hæc & similia principia nõ
posse disputari per τὸν ἑσὼ λόγον, etiãsi à contumacibus ingenis per τὸν
ἑσὼ λόγον, hoc est, verbotenus. 3. Arist. 5. Eth. Nicom. c. 7. jus facit duplex
aliud φυσικόν, aliud πολιτικόν: quorum illud πικταχῆ τὸν ἀνθρώ-
πον δόξα μὴ νοῦν ἔχει, ἡ δὲ δεξιὰ ἡ μὴ definit, & postmodum anxie illud a-
struit. Atqui quid hoc jus naturale aliud, quam notitia illa, de quibus hic
quaestio? 4. Non sequitur, Aristoteles docuit intellectum esse tabulam rã-
sam in qua nihil sit scriptum. Ergo negat intellectui esse insita prima prin-
cipia. Distingendum enim inter intellectum agentem & patientem. In-
tellectu patientem pender à sensibus, & idcirco nihil in eo est, quod non prius
fuerit in sensu. Hac enim in vita talis est copulatio anima & corporis ut
sit opus irritatione, & impulsionem externi objecti in sensus incurrentis. 2.
Hoc objectum ubi leviter commovit intellectum patientem, statim succur-
rit intellectus agens & primorum principiorum apprehensionem ita il-
lustrat, ut homo id credat firmissimè sola propensione intellectus sine ulla
probatione Keckermanus in cursu Phil. disp. 19. pag. 541.

VI. Sunt nonnulla que quando vel a sensibus accepta vel per ratio-
cinationem inventa sint, non facile potest demonstrari: imò infinita sunt
que in sensu nunquam fuerunt & tamen judicantur, colliguntur, nas-
cuntur, non nisi nature prævisi igniculis. 1. Non ex consuetudine aliunde
recepta, neg. doctrina ex aliorum magisterio hausta descendit illud judi-
cium, quo alia tanquam pulchra & honesta amamus, laudamus & com-
mende-

mendamus: alia verò tanquam inhonesta & turpia averſamur, delectamur & condemnamus: sed ipsa natura veluti Dei digitis cordis nostri tabulis suis leges inscripsit, quibus instructi de morum & factorum honestate & dignitate recte judicare possumus. 2. si non dantur nōtia ingenerata, honestum & turpe, justum & injustum, licitum & illicitum natura non discernuntur, sed tantum ab usu & consuetudine. At & de hoc. Calidum & frigidum, album & nigrum distinguit natura. Qui ergo inter honestum & turpe nihil discriminis efficere potuerit. Vide Arist. l. 1. Nico. c. 3. 3. Quemadmodum, asserente Scaligero Exer. 307. f. 22. pullus connatam habet secum speciem accipitrem, quae in summa ejus potestate, quam asstimatam vocant, sita, representat singulares milvos omnes, per quos pullus vix dum ovo egressus, pertimescit accipitrem, non ardeam: Sequemadmodum infantulus in natam habet speciem suae conservationis, per quam vix dum editus, vult sugere; ideoque labra movere, non pedes: Sic menti hominis impressit natura ipsa quasdam notiones tanquam seminaria omnium cognitionis, quibus cum administrantibus quibusdam mens adjuvatur & cum rebus quibusdam, quos ideo nonnulli lucem primogenam appellant, dirigitur ad verum agnosendum & a falso citius discernendum. 4. Et quis quaso tam insanus est, quem lateat cognitio pluris & pauciorum, non quidem illa à sensibus accepta, sed à natura intellectus hominum ingenerata, neque ea distincta, sed confusa? Infantum duo poma offendito: recipiet unum & flagitabit alterum. 5. Natura ipsa à quibusdam malefactis ita abhorret, ut nec doctus nec indoctus probari possint.

VII. Haec notitia ingenerata à Philosophis in tam sublimi veritatis gradu collocantur, ut si quis hasce regulas universales, omnibus hominibus per naturam ingentis & notas indubium vocare velit, eum cum mentis insigni morbo laborantem, ad Antycras navigandum esse judicent, adeoque negent, contra principia negantem esse disputandum. Phil. l. 1. Dial. p. 235. Et lib. de anim. ut. quid est intellectus.

VIII. Hinc adeo plurimi negant & πλὴν verum esse, quod tanto opere jactatur & tractatur in peripato: Nihil esse in intellectu, quod non prius fuerit in sensu. Magin. l. 6. Phys. perip. c. 19. th. 53. Cal. in Juxta c. 5. q. 5. Goel. in advers. quaest. 57. Phi. in l. de anim. & lib. 3. Dial.

IX. Ab hac nostra sententia non ita longis passibus distant, qui statuunt, hasce notitias esse habitus imperfectos & dicitores, id est, affectiones seu habitus inchoatos. Quam etiam sententiam sano sensu simpliciter non repudiamus. P. lura ut & contrationum argumentorum solutiones vide apud alios tum imprimis apud Goelenium disputat: an ipsa natura in hominum animis principia impresserit.

Quaestio V.

An doctrina Ethica abijcienda sit; quia non
utitur exquisita certitudine de-
monstrationum?

Negatur 1. Quia est eruditi subtilitatem inquirere in omni re. c. 1.
renus, quo ad rei natura patitur. Aristotel. 1. Nic. c. 3.
II. Eadem ratione posset aliquis nobilissimas alias doctrinas explodere, ut
est Medicina, Rhetorica & aliae consimiles. Martyr, in Ethic. p. 36.
III. Neg. simpliciter accipiendum est, quod dicit Aristoteles 2. Ethico-
rum c. 2. in rebus medicis & practicis nihil inesse firmitatis. 1. Quia sunt
gradus certitudinis. 2. Quia ut in medicina manet ordo demonstrationis,
etiamsi alii subjectis aliae rationes actionum dantur: Ita in moralibus manet
ordo demonstrationum, etiamsi de quibusdam practicis mutantur consilia
propter diversa objecta & dissimiles circumstantias. Verbi gratia. Furem
non est reddendus gladius depositus: quia necesse est parere legi. Neminem
laidito: sic in aliis casibus locum habet summum jus, in aliis caritas. Stri-
gelius in hunc locum. Variantur enim hic praecepta secundum diversas cir-
cumstantias in objectis, sicut in medendo: sed tamen principia quaedam hic
oportet esse immota, quae sunt regulae praeceptionum inferiorum. Verbi
gratia Deo est obediendum, nemo sine causa laedendus est, vanae libidines
sunt vitandae. 3. Licet actiones variant, tamen certitudo praeceptorum sem-
per est eadem. Atqui actiones non sunt ipsa Ethica, sed ex ethica confor-
mari necessum habent. 4. Fit hoc etiam in scientiis, ut res quidem mu-
tationibus obnoxiae, interim praecepta sint eadem Confer. Zab. lib. 1. de
demonstr. c. 10. Scal. l. 3. de causa Lat. Ling. c. 187. grad. 5. cap. 15.
Piccol. in Com. Pol. Reg. in disputat. Log. 16.

Quaestio VI.

An juvenis etiam possit esse idoneus
Ethices auditor?

Negativam viderur tenere Aristoteles lib. 1. Eth. Nic. c. 1. Quia
juvenis est imperitus actionum humanarum. Atqui Philosophia practica
proprie sunt disputationes ex actionibus & de actionibus, quae in vita
ver-

versantur. 2. Quia juvenis est ἀνορθόδοξος τοῖς ᾠθεῖσι; hoc est; est
variis affectibus & perturbationibus obnoxius, quomodo etiam ab Horatio
describitur.

Gestit paribus colludere & iram

Colligit: & ponit temere, mutatur in horas

Imberbis juvenis. Tandem custode remoto

Gaudet equis, canibusq; & aprici gramine campi:

Cereus in vitium flecti; monitoribus asper:

Vtilium tardus provisor, prodigus aëris.

Nos stamus pro affirmativa. i. quia in juvene est usus rationis.

2. Quia affectuum intemperies nondum callum obduxit. 3. Principis ob-
standum est. 4. Homo se habet ad hanc disciplinam ut ager se habet ad
medicinam. Atqui ope medici indiget, non qui vegeta vivit & viridi vale-
tudine, sed qui lectulis affixus gravioribus morbis constitatur, & collu-
etatur 5. Ipse Aristoteles hanc libros Nicomachios filio inscripsit: ut Cice-
ro filio Marco tres istos de officijs libros.

Pro decisione igitur tenendum. Aristotelem non simpliciter ab
Ethices auditione juvenem excludere: Sed eum qui intellectu, & moribus
sit juvenis, cujuscunq; etiam ætatis is fuerit. Camerarius in l. i. Nicom.

Quæstio VII.

Anne doctrina Ethica sit supervacanea: quandoquidem
juvenes & incontinentes non sunt idonei ejus auditores:
boni verè eâ non indigent?

Negatur. i. Tam bonis enim quàm malis hæc doctrina plu-
rimum prodest. Mali enim licet cum difficultate, tamen quoquo mo-
do revocari possunt à vitiis & per doctrinam flecti ad virtutes, ut
Athenis Polemoni accidisse legimus, cum Xenocratem multa de tempe-
rantia disputantem audisset. Diogenes Laërtius l. 4. Vide rectè Ho-
ratius. Invidus, iracundus, iners vitiosus, amator;

Nemo adeo ferus est, quin non mansuescere possit.

Si modo doctrinæ patientem accommodet aurem.

Bonis verò hæc doctrina prodest, quoad confirmationem. Sicut enim
medicina se habet ad corpus: ita doctrina Ethica se habet ad animum. At
medicina est conservativa & reductiva sanitati, cum morbi sunt curabi-
les: Sic & Ethica se habet ad aegritudines animi, quas & conservat &
accisas restituit. Martyr & Acciaolus in Eth. Nicom. c. 3. Gocke-
nius in disputat: Ethicis. g. 5.

Quæstio

Quaestio VIII.

Cur juvenibus & in continentibus tanquam minus Ethices auditoribus, Aristoteles non etiam eos annumeravit; qui eo temperamento sunt praediti, ut vix meliores reddi possint.

Censemus hoc ideo factum esse, quod licet omnes in lucem edamur igniculus vitiorum & libi huiusmodi insecti propensi ad turpitudines & flagitia, tamen isti omnia non sunt ita robusta & firma, quin vel prorsus ea queant superari vel saltem placari & leniri, quod vel egregie evadant homines quo ad morales virtutes, & externam conversationem. Sequuntur enim mores temperamentum, sed tanquam instrumentum: Intellectum verò & voluntatem tanquam causam adequatam & potissimam. Cum enim anima non sit hominis temperamentum, uti quidem Galenus statuebat; sed longe divinius natura; ideo licet fateamur humani corporis esse & IV habere suas in homine facultates, his tamen animam aliquo necessitate impulsu constringi nequaquam concedimus. Absoluta enim huius necessitatis communi dispendium Medici, quando naturam temperamentorum infringendam & coercendam esse docent. Sicuti etiam Socrates & Scilpo Stegarensis natura sua pervertitatem adhibita diligentia correxerunt. Cicero 4 Tusc. Sed de hac quaestione verbosius suo loco.

Quaestio IX.

An ad testimonij dictionem, ubi de moribus aut aliis de philosophia disputatur, liceat poetarum testimonia adsciscere?

Ita quidem dicitur nonnulli, videlicet poetici testimonijs uti eos, qui vulgo fucum faciunt; non verò eos qui germane & sincere philosophantur: quorum Sententia apud Platonem Socrates favere videtur, cum sic disserit: Videtur mihi disputatio de rebus poeticis similis esse convivij imperitorum, plebeiorumque hominum, qui cum propter insipientiam nequeant inter se propriam voce suis sermonibus ipsi colloqui, mercede tibicines conducunt, & aliena voce, hoc est tibiarum flatu convivium transigunt.

Econtra precepta carmini intexta plurimum ponderis habere placet veritati, placet & nobis. Quemadmodum Spiritus clariorem sonum reddis, cum illum tuba per longi canalis angustias tractum, patientiore nobis

visum exitu effundit: Sic nostros sensus clariores efficit carmini arte
 necessitas II. Eadem negligentius audiuntur, minusq. percutiunt, quam di-
 soluta oratione dicuntur. At qui ubi numeri accessere & egregium sensum
 adstrinxere certi pedes, ea tem illa sententia velut lacerto excussa torque-
 tur. III. Sententiæ Poetarum etiam Philosophorum libri sunt reserti, ut
 videre est apud Platonem, Aristotelem, Plutarchum & alios IV. Ipse eti-
 am Apostolus Paulus Poetas ad testimonium citare non dubitavit. I. Dispu-
 tans Athenis cum Stoicis laudat isthæc Arati verba oppugnanda Idololatricæ
 accommodata: τὸ θεῶν ἄστρον ἐστὶν ἰδίον. 2. Scribens Corinthiis hanc Menan-
 dri senarium adhibet: φεισσοῖν ἰδὸν χρυσὸν δὲ χρυσοῦ κακόν. 3. In E-
 pist. ad Tit. Epimenidæ Cretensis Poetæ commemorat: Dixit quidam ex illis
 proprius ipsorum Prophetæ κρῖτες αἰεὶ θεοῦ κακόν. Dugfo γὰς περὶ ἀγ-
 γαί Τεστμονίῦ hoc verum est, vides, ait Clemens Alexandrinus, quam
 etiam Græcorū prophetis aliquid veritatis tribuat Apostolus, nequidam alie-
 nae salutis adjumento sit, poetarū versus ad disputandū adhibere vitæatur.

Quæstio X.

An practica Philosophia Theorica sit præstantior?

— Pro theoretica stant hæ rationes.

1. Quia theoretica cum in sola rerum inspectione versetur propter se expetitur. I. Metaph. 2. Id autem quod sui gratiâ expetitur, nobilius est. I. Eth. 7.
- II. Quia versatur in rebus divinis aut quæ à divino manant principio, versatur in substantiâ, versatur in æternis. At πρακτικὴ solum actiones humanas moderatur. III. Est bonum continuum, hoc est, non requirit instrumenta corporea, aut certe non tot quot πρακτικῆ, ibi enim liberali ad largiendum opus est pecuniâ: iusto ad præstandam justiciam Satellitibus: forti viribus & armis. IV. Ipse Philosophus l. 1. Metaph. c. 2. inquit: Metaphisicæ est scientia maximè princeps & ceteris imperat scientiis &c. Michaël Piccartus in hypotyp. Philosophiæ Aristot.

Pro practica præstantia militat. 1. Itidem ipse Philosophus quando. I. Nico. c. 2. disciplinam politicam vocat ἀρχιτεκτονικὴν, hoc est, principem scientiarum. 2. Quia hæc disciplina reliquis videtur imperare, definiens quas scientias unusquisq. in civitate & quo usq. discere debeat. Plures rationes videantur apud Aristotelem. Nos laticulam hanc certis distinctionibus componimus. 1. Imperare est duplex alicui vel pro aliquo. Iam practica Theoreticæ non imperat, sed pro ea, seu in gratiam ejus, non secus ac servus non imperat domino, sed in gratiam domini Pico. grad. 9. c. 9. 2. Disciplina Politicæ Architectonica est inter

eas, quarum minus est agere, non verò contemplari. Piccartus
 l. d. 3. Theoretica practica nobilior est ratione originis &
 dignitatis: Practica verò nobilior est ratione ministerij & usus.
 Probat. 1. Quia scientias theoreticas assidue conatur perturbare ani-
 mi per Philosophiam moralem componere temetur. Piccol. grad. 9. c. 47.
 siquidem nemo philosophari potest, nisi se, quam maxime fieri poterit,
 ab affectibus sejungat. Plato in Phædone, II. Philosophia moralis: non
 vero theoretica honestum pollicetur. At inter omnia bona, qua & dicitur
 voc. honestum est præstantissimum. III. Majus malum est nequitia, quam
 insuetudo: improbitas, quam ruditas. Atqui moralis Philosophia nequitiam
 improbitatem tollit. Senec. Ep. 606. In supervacuis subtilitas teritur; non
 faciunt bonos ista sed doctos, æperior res est sapere ànd simplicior paucis
 opus est ad mentem bonam literis. Sed nos ut cætera in supervacuum dis-
 fundimus, ita Philosophiam ipsam. Quemadmodum omnium rerum: Sic
 literarum quoq; intemperantiâ laboramus: non vitæ sed scholæ disci-
 mus. IV. Longè satius est Deum colere, egensem sublevare, pericli-
 tanti subvenire: patriæ suppeticas ferre: quam operose scrutari & sollici-
 tè perquirere, quomodo ex equi cadavere crabrones: ex Asino Scarabæi,
 ex homine vermes & serpentes nascantur, cur frumentum in a-
 vernam abeat, in lolium degeneret &c. Seneca Epist. 48. Dispu-
 tationes istæ utinam tantum non prodesse! nocent. Hoc tibi cum vo-
 les manifestissimum faciam, & comminui & debilitari generosam indo-
 lem, in istas argutias conjectam. Et Ep. 82. Acuta sunt ista, qua dicit. Ni-
 hil est accurius aristâ. Quadam inutilia & inefficacia ipsa subtilitas red-
 dit. V. Omnes Philosophie laudes, quæ passim extant, imprimis practice
 Philosophia debentur: ut cum 2 & 3 Tusc. quaest. inventrix legum, vitæ
 dux virtutis indagatrix, expultrix vitiorum & magistra morum perbi-
 betur. Imò de hac Philosophie parte imprimis accipimus, cum Plato sub
 persona Socratis exclamat: Tum demum felices fore Respublicas, si aut re-
 ges Philosopharentur, aut Philosophi reipub: administrarent. VI. Omnes
 qui philosophiam suis allatarunt convitiis, hanc de moribus doctrinam
 semper intactam reliquerunt. Neq; nunquam in tantum convalescet ne-
 quitia: nunquam sic contra virtutes conjurabitur, ut non Philosophia no-
 men sanctum & venerabile maneat. Senec. Ep. 14. Quæ tamen Seneca & alio-
 rum dicta tantum de superfluis & ociosis istis disputationibus accepta volumus,

Sed satis: immensum spaciis confecimus æquor:
 Et jam tempus equum fumantia solvere colla,

F I N I S.

Fc 1249. gr

ULB Halle

003 422 747

3





Bitte noch kein
Sammelbd. voranzufügen

nach Ausleihe
an Retro-Ecke
OL

Zurück!

VD 17





B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



TATIO I.
ONVM ETHICARVM
De
A ET PRÆ
IS ETHICES,
Quam
TE ET DOCENTE.
 Academia Witebergensi
reside
ELSTENIO PHILO-
 is Professore publico,
adam suscipie
GERVS WITEBER-
 genfis.
ij horu locog, consuetu.
c. 1. Off.
 publicis, neq; privatis, neq;
 neq; si tecum agas aliquid,
 utrahas, vacare officio po-
 do sita est vitæ honestas
 do turpitude.
EBERGÆ
ianis Anno 16 07.

